



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Örigenus Tōn Eis Tas Theias Graphas Exēgētikōn Apanta Ta Ellēnisti Heuriskomena

Cui idem præfixit Origeniana, Tripartitum opus, quo Origenis narratur vita,
doctrina excutitur, scripta recensentur

Origenes

Rothomagi, 1668

XI. Ecquid de Angelorum libertate, meritis, gratia, remuneratione, ac
poenis statuerit.

urn:nbn:de:hbz:466:1-25059

A nec in unam Synagoga Christi apparitione per angusta confragosaque loca fluentes coaluerunt. Quod palam de Origene prædicarunt viri graves, id infitiat Nicetas, si modo fides interpretationi Latinæ adhibenda est. Notetur interim hanc aquarum *ἰπερβύτων* expositionem ab Ebrais Magistris profuxisse.

Ex superioribus colligi potest, hæc diversis modis ab Origene fuisse exposita; multiplicibus & varijs sensibus ex simplici literæ contextu pro tempore erutis & evolutis; non destructo tamen & abolito literæ sensu. Si minus ea placet excusatio, admittetur forsitan hæc altera, Angelos intelligi ab Origene qui aquis præfunt, sicut universarum rerum præfides Angelos finxit. Legatur decima ejus in Ieremiam Homilia, in qua doctrinam hanc explicat, atque ita concludit: *ἕτας δὲ ἰσῶ, καὶ γῆν λέγαδὲ ἔστι γῆς τεταμένον ἀγγέλων,*
 B *καὶ ὁ δὲ ἀπὸ λίγαδὲ τὸν δὲ ἰσῶς τεταμένον ἀγγέλων, καὶ ὁ δὲ λίγαδὲ: εἰδοσάσι σε ἰσῶς ὁ δὲ δὲ, εἰδοσάσι σε ὁ δὲ δὲ.*

In Origenis sententiam fere concedit Gregorius Nyssenus libr. in Hexaëmeron; nam aquas illas quas ab aquis inferioribus Deum divisisse narrat Moyses secundo creationis die, cœlestes Virtutes interpretatur; at inferiores aquas pro malis Angelis neutiquam accipere se declarat. Placuit quoque opinio isthæc Augustino libr. 13. Confess. cap. 15. Tale etiam aliquid ad Origenis exemplum commentus est Isidorus Origin. libr. 7. cap. 5. *Vnde,* inquit, *& post cœli creationem in principio reperitur: Fiat firmamentum; & vocatum est firmamentum cœlum; nimirum ostendens quod post ruinam Angelorum malorum hi qui pertranserunt, firmitatem æternæ perseverantiæ consecuti sunt, nullo tam lapsu aversi, nulla superbia cadentes, sed firmiter in Dei amore, & contemplatione manentes, nihil aliud dulce habent, nisi cum à quo creati sunt.*

XI. De Angelorum libertate, meritis, gratia, remuneratione, ac pœnis multa Origenes ab Ecclesiæ norma deflexa excogitavit. Naturas quippe omnes ratione præditas unius esse ejusdemque speciei credidit. Angelos autem bonos & malos; & animas hominibus ac sideribus inditas in eam censum retulit, uti supra ostensum est. Has ante mundum naturas à Deo conditas fuisse ratus est, ac bene vel male agendi facultate instructas; qua priusquam uterentur, *νόες*, hoc est Mentis fuisse; sed statim ea ulas, & diversis quidem modis, cum aliæ in virtutum, in virtutum alia ferrentur, pro meritis esse habitas, & partim admissio scelere in profundum deturbatas; partim etiam propter leviores noxas è superioribus Ordinibus dejectas ad inferiores transiisse, & ad animanda quoque hominum corpora esse demissas; adeo ut quocumque loco sint, acceptum id meritis suis referre debeant: *ἰσῶς* autem, hoc est animas, tunc evasisse, postquam ab amore Dei fuerunt *ὑπο-ἰσῶσται*, hæc vero arbitrij libertate etiamnum naturas illas rationales ita frui, sive humanis corporibus implicatæ, sive Dæmones factæ sint, sive Angelicum ordinem retineant, ut nova subinde peccata in se concepiant, vel virtutem amplectantur, & pro recte aut nequite gestis, vel deprimantur in inferiora, vel ad superiora conscendant: permutari ergo ordines illos, & ex Angelis homines, ex hominibus Dæmones, & vicissim alios, aliosque evadere: Diabolum à nequitia quidem ad meliora posse converti, sed nolle, & in perfidia sua definitum obdurare. Gratia vero auxilium, quod Angelos in sanctitate confirmat, & à peccatis prohibet; vel ejusdem gratia defectum, quo fit, ut à nequitia Dæmones non emergant, nullo modo videtur agnoscere. Futurum autem aliquando putat, ut naturæ illæ omnes, sive Angelorum, sive Dæmonum, sive hominum, causam dicant coram Deo, & rerum à se gestarum rationem reddant, ac pro meritis exornentur; interim tamen varios illos ordines ac status pro virtutibus ac vitis consequi.

XII. Summa hæc est Origenianæ de Angelorum natura & meritis doctrinæ, quam convitiis suis Ecclesiæ Patres perfererunt; Methodius præcipue in libro De resurrectione; Theophilus Alexandrinus Paschal. 1. & 2; Epiphanius in Epistol. ad Iohann. Hierosolym. cap. 2. & Hæres. 64. cap. 4; Nemesius De natura hominis, cap. 3; Leontius Scholior. Act. 10. cujus verba supra adduximus; Hieronymus cum alibi sæpe, tum maxime Epist. 59. ad Avit. cap. 1. ubi præter alia istud habet: *Cumque omnia vario sermone tractasset (Origenes) asserens Diabolum non incapacem esse virtutis, & tamen necdum velle capere virtutem: ad eum tamen sermone latissimo disputavi Angelum, sive animam, aut certe Dæmonem, quos unius asserit esse naturam; sed diversarum voluntatum, pro magnitudine negligentia & stultitia jumentum posse fieri: & pro dolore panarum, & ignis ardore, magis eligere ut brutum animal sit, & in aquis habitet & fluctibus, ac corpus assumere hujus vel illius pecoris: ut nobis non solum quadrupedum, sed & piscium corpora sint timenda.* Atque hanc de naturis rationalibus in jumentorum corpora demittendis opinionem inter præcipuos errores Origeni exprobrari solitos enumerat Auctor anonymus apud Photium Cod. 117. Enumerat & istum: *ὅτι ἐκ κατὰ πῶστος ἦλθον οἱ ἀγγελοι (Lego ἀγγελοι) εἰς τὸ κόσμον, ἀλλ' ἢ δι' ἐπίβουλον συνέστησαν.* Angelos in mundum ex lapsu, non propter aliorum obsequium venisse. Iustinianus præterea in Epistola ad Quintam Synodum, quam recitat Cedrenus, & Sophronius in Epistola ad Sergium ejusdem criminis Origenem arcessunt; arcessit deniq;